

Pugnatio Cattarii  
**L V D O V I C I**  
**C E R V A R I I T V**  
BERONIS ABBATIS

Patritij Rhacusani de Turcarum origine, mo-  
ribus, & rebus gestis commentarius.

Libri sex.



Igilantioribus ingenij materialm exequendae  
historiae sufficiens, statui originem, ac prin-  
cipium Regum Othomanorum carptim absum-  
pta litteris mandare, quæ si qualicunqueq; stylo  
memoriae prodidisset opera præcium me fa-  
cturum putavi, nempe ac si unquam alijs his  
temporibus vidimus rem p. Christianam ab his  
regibus pessundari, Regna ac prouincias (pec-  
catis nostris sic exigentibus) funditus euenti.

Eos, qui forte, aut rei gestæ cognoscendæ studio, hæc scripta legere vo-  
luerint (etenim, vel nuda rerum cognitione expimir) aut parata ha-  
bere, unde sumere possint, quæ r̄beriore stylo perscribant, rogatos es-  
se velim ne à me Romani eloquij dignitatem iamdiu vñā cum Imperio  
amissam exigant, naturæ enim instituto quodam, sicut cætera omnia,  
ita, & litteræ senescunt, ac in peius ruunt, sed ad res, quæ narrantur, ani-  
mum intendant, nec mirentur, quod susceptum negocium simplici stylo,  
atque inelaborata oratione, quo nos res ipse duxerunt consueto secuti-  
sumus: neq; enim his lucubrationibus humanam gloriam, quam ele-  
ctione contempserimus, quæsui, sed otium, atq; desidiam scribendo evita-  
re consilium fuit. Qua quidem in re cum quorundam veterum scripto-  
rum, ac eorum ipsorum sapientie studiosissimorum, tum sanctimonia  
insignium nostra religionis hominum studium sum fecutus. Placuit  
igitur separatis ferè voluminibus, quo res ipsa esset conspectior perser-  
bere, breuiq; stilo perstringere primordia, & mores gentis Turcarum,  
quæ quidem partim in Asia, partim in Europa latissimum nostra ten-  
perante obtinet imperium, & maxime ea, quæ temporibus meis sub  
Bazæshe, Selyno, & Salomone Regibus Othomanorum euenerat: atque

A quonam

## Ludouici Ceruarij

2  
quonam modo tantum Imperium sit adepta, commemorare. Nec mirum est, Turcas tantum imperium breui adeptos esse, quandoquidem præter Christianorum tum desidiam, tum discordiam, quæ maxime hostili iniuriae nos exponit, his sunt prædicti moribus quos sane modo non obstat Dei voluntas, Imperium subsequi solet. Etenim genus hominum est laboris, inediæ, vigilia, astus, algoris tolerantissimum, animi ad omnia pericula, & ipsam mortem subeundam, pro gloria, & Regis sui amplitudine, promptissimum. Vitam partam, ac duram, atq; ab omni alienam lux, ducunt. Major anni pars, aut subdijo, aut sub tabernaculis fronde, seu culmo inectis, agitur, atq; cum iter faciunt, vel in expeditionibus sunt, si sol & stius feruer, aut imber incesserit, eadem penula ex sub coactis consecta equum, & dominum pariter protegit. Cibus his simplex, & parabilis est, potus lac, aut purus, ut fere ceteris Machometanis, fontis liquor, vel quum genio indulgent, melle conditus. Nulla apud eos ars, aut disciplina in maiore habetur precio, quam quæ decertanti usui esse potest, atque idcirco sagittandi, atq; equitandi peritissimi sunt. Tanta his belli gerendi inest cupiditas, ut grauius ferent otium, quam morbum ferant. Hostibus superatis nihil sibi arrogant, sed Deo acceptum referunt, si forte, ut saepe fit, vincuntur, suæ in Deum impietati aduersam adscribunt fortunam. Et quum apud eos nulli sit dedecori paupertas, neq; diuitiae, neq; generis vetustas quempiam honestiorem reddunt, quem quisque sibi armis, & virtute splendorem parauit, eo satis clarus est, atque idcirco ad gloriam augendam maiorem nobilitatem nemo desiderat. Hospitalitatem adeo sanctam habent, ut cum quo semel cibum sumpsere, eum uel hostem factum, atque in acie concurrentem uiolare nefas putent, existimantes etiam in quolibet disfido ius amicitiae haud esse spernendum. Ad hæc fidem plerique, & ius iurandum tanti faciunt, quanti non modo fortunas omnes, sed ipsam uitam. Fama satis constans est raro Turcam inuentum esse, qui amotis etiam arbitris, atque sub nullo scripto sibi creditam abnegaret pecuniam, & qui id sceleris commiserit, eum graues apud inferos penas luer arbitrantur. Regem suum postremo tanta colunt veneratione, ut quosdam morti a Rege destinatos in certam iniisse perniciem constet, nec uello passo induci potuisse: quo fuga periculum evitarent, ne scilicet, aut vita amore, qua sane nihil incurdius est mortalibus, aut per contumaciam Regum Imperium neglexisse videretur. His de Turcarum moribus dictis ad originem, & principium eius gentis regrediar.

sic 98

De Turcarum igitur antiqua patria duplēam famam apud veteres authores reperio. Nam alijs Turcas ab Hyperboreis montibus digressos esse opinantur. Alii, (quibus, & ipse assentior) Scythes Asia-

## Liber primus.

3

icos affirmant, atque ex illa regione, quam nunc vulgo Cathaiam appellant, aduenisse. Satis mihi exploratum est Turcas communes propè sedes quondam cum Tatharis intra Caucasum montem habuisse, nam, & eiusdem fere linguae homines sunt: Tatharo sq; ad Tanaim fluuium profectos circa Meotidem consedisse, Turcas vero meliores sedes experientes, transgressos Caucasum in Albaniam irrupisse anno salutis humanæ quinquagesimo quinto supra septingentesimum. Inde per Albam agrum ad Cyrum amnem accessisse, moxq; Armenia maiorem occupasse. Deinde cum Persis, & Saracenis gente Arabica diu varia for tuna decertasse. Tandem a Saracenis pacem, sedesq; in Asia quietas hac conditione impetrasse: videlicet ut Machometani ritus acciperent religionem, atq; aduersus Christianos Gothifredum maxime, atque Baldwinum fratres cognomento Balionios bellum gesturi secum arma coniungerent; ceterosq; Romang religionis homines Asia arcerent. Quaq; quidem accepta conditione totius sermè minoris Asia Imperium præter quasdam maritimas Ciuitates brevi sibi adiunxerunt, pulsis inde partim Gracis, partim Persis, ac Saracenis Regalis. Post aliquot deinde annis extincta penitus apud Turcas Regia Huncharorum prole Imperium in plures dividitur. Principatus, nam quisq; fere praefectorum, eam, cui presuerat regionem, assumpto sibi regio nomine inuasit. Hi autem Turcarum satrapæ Mollio Hunchariae familie regi vltimo superfluisse dicuntur. Othomanus, Hermenes, Scarcanus, Germanes, Andinus, Mentheses, Caramanus. Ex quibus quidem Halladolii ab Hermene orti: atque Caramanij ad nostram vsq; etatem durarunt. Imperio a pluribus occupato confestim ex emulatione, ut fit, odium, mox bella inter duces exorta sunt: sepiusq; clades innicem acceptæ, redditæque. Per idem tempus Othomanus unus, vt dictum est, ex Huncharii Praefectis, cuius progenies Constantinopolim cum tot Asia, atque Europæ regnis nunc tenet, in regione maioris Phrygiae circa Dorylium oppidum Satrapeam obtinebat, viculum quendam cum familia sua incolens, quem ab ipsius Othomani nomine Othmaniam Turec appellavit. Qui quidem animaduertens Asiam intestino bello ardere, nec quemquam unum, ex Turcaicis Principibus esse, qui publicæ rei studerent, collecta clientum, pastorumq; ac agriculturarum manu caput in vicinum agrum impetum facere, atq; hostilem in modum prædas agere, suisq; capta liberaliter dividere. Et ubi uidit Asiaticorum Principum discordia, ac publici status negligentia latrocinia sua impunita esse, vicorum, ac castellarum oppugnationi animum mox adiecit: breniq; in tantam fortunam crevit, vt cuiq; Asia praefectorum viribus par esset. Itaque quiam Duces pace tandem composita in gratiam rediissent, Asiaq; Sa-

A 2 tra-

trapeas inter se diuissēt, partē Mysiae addita maiore Phrygia Othomanus  
 obtinere permisus, ut esset, qui Constantinopolitanum Imperium  
 exerteret. Destinauerat enim Deus, ut rei euentus affirmauit, graco-  
 rum nomen delere, propterea, quod non modo ius Romani spueuerant  
 Pontificis, sed etiam a recto Christianae religionis ritu iam Jerē defece-  
 vant. Nactus itaq; regnum Othomanus non sē ac suos ocio, deliciisq;  
 corrumpi passus est, sed quoq; finitimo, christiano maxime, cuius ge-  
 neris mortalibus Asia hoc quoq; tempore incolebatur, viribus suis im-  
 pari, hoste destinato, vicinum agrum incursum, prādas agere, hostem ter-  
 vere, & in dies imbecilliorē reddere, suos rebus captis allucere, prom-  
 ptioresq; ad militie labores tolerando efficere. Quibus quidem arti-  
 bus breui maximum, & apud suos, & apud exterros adeptus est nomen.  
 Itaq; quom cæpisset à finitimis rebementer timeri, cogitaretq; successus  
 rerum inflatus maritimæ Asiae vrbes, que in ditione Imperatoris Con-  
 stantinopolitani erant, aggredi, morbo extinctus est, sepultusq; in vico,  
 quem diximus, ab eius nomine Othomaniam vocari. Posthunc Orcha-  
 nus filius Regnum accepit, qui quidem parentem non animi solum ma-  
 gnitudine, ac virtute, sed etiam Imperio superauit, nam ad parentis re-  
 gnum totam ferè Bythiniam adiecit, expugnata prius Prusa vrbe in  
 radicibus Olympi montis posita, in qua ob cultorum frequentiam sedem  
 regni constituit. Quam sane vrbe in fra paucos dies in potestatem re-  
 degit, Gracis, qui in præsidio erant, eam dedentibus: dum auxilium Con-  
 stantinopolitani Imperatoris, qui per id tempus cum finitimis in Euro-  
 pa bellum gerebat, desperant, tametsi sunt, qui dicant, Orchano de pri-  
 scis Turcis, quorum paulo ante mentionem fecimus, Prusam capisse.  
 Iamq; Orchanus ad Caramani Imperium aspirabat, bellumq; inferre  
 parabat, solus cupiens in minori Asia regnare, quom eum ab hac expe-  
 ditione maior spes forte oblata auertit. Per idem enim tempus Ioan-  
 nes Paleologus Constantinopolitanus Imperator bello a Thracibus, ac  
 Bulgaris ( gens Rboxolanorum est Macedoniam incolens ) uehementer  
 premebatur, nec prouersus his resistere poterat. Itaq; pessimo capto con-  
 filio, & quod nō modo Greciæ, sed etiam bona parti Europæ perniciem  
 erat allaturum, cum Orchano fœdus iungit, rogat mox eum sub stipendij  
 pactione, ut in Europam cum copiis suis traiiciat, Thracumq; ac Ma-  
 cedonum agros incurset. Turca primum per dolum haud se transi-  
 tum Hellespontum dicere, fingens se non audere exercitum in Euro-  
 pam transmittere, nisi prius in potestatem suam Sestos, nunc tenuis vi-  
 cus, olim vrbs nobilis cum Callipoli traderetur. Quod ubi haud diffi-  
 culter Orchanus impetravit, ratus Græci dementia abutendum esse, to-  
 tam insuper Chersonesum cum Lysimachia paucis post mensibus hoc  
 pres

## iii Liber primus. I

prætextu petit. Quoniam inquit ad excusiones faciendas Turcis equorum multitudine opus est, qui quidem sine latiori soli spatio ali nequeunt, quo id commode fieri possit oportere totam Chersonesum sibi tradi. Obsecatus erat Bulgarorum odio Græcus Imperator, propterea nihil pensi habuit dummodo, uel propria ruina suas iniurias ultum iret. Itaq; Chersonesum quoq; confessim non quidem socio, quæ enim firma societas inter homines diuersæ religionis esse potest? sed hosti infestissimo habendam permisit. At Orchanus preter spem naclus loca idonea ad regiones Christianorum (quod summopere optabat) de popularibus mirum in modum latari, frequentiqt; incursione Græcorum hostes rexare, interdum socios quoq; Græcos præde auditate iniuria afficere rapere, abigere, quæ casus obtulisset, commoda sua tantum, ut plerisq; barbaris mos est, curare, sociorum damna nihil facere. Expostulatibus iniurias imperitiam modo regionū, qua pacatum ab hostili agro hanc dignouissent, causari, iustas modo prædandi causas, ne uis ratione carere videretur, struere. Atq; quo Asiaticos quoq; Turcas, illos maxime, qui alienæ erant ditionis, in suas haberet partes, ultra Helleponsum præiosam supelleatilem, formosas puellas, puerosq; quibus rebus sane Turcæ maxime capiuntur, trasportare, atque emere cupientibus copiam facere; nec non interdum quibusdam etiam dono dare, nihil deniq; prætermittere, quo animi sua sectæ hominum conciliari possent. Quæ rbi Græci sero iam peste præcordiis recepta percepero, statuunt cū finitimis Christianis in gratiam redire, & communī hostie Europam liberare. Ceterum dum magis dicendis sententiis tempus teritur, quam vlla expeditio suscipitur; Græcus Imperator diem suum obiit. Cui Orchanus quoq; hanc multum superuixit, Hamurato primo successore relieto, qui comparato, quam maximo, vt tunc erant Turcarum opes, exercitu, confessim Helleponum traicit, superatoq; Melante amne, ad Hebrum, qui Hadrianopolim interfuit, perrexit, lateq; agros, nullo hostie obuio populatus est, atque ingenti quom pecorum, tum hominum præda abacta, Callipolim est reurysus, quam sane urbem in Chersoneso sitam, rbi operibus, ac præsidio munita, in Asiam se recepit. Baz aethes inde à patre recepto Regno regnat, qui pacis, quam belli artibus clarior fuit. Hic dum Mysiam ius dicendo peragraret, nuntiatur ei Tatharos Duce Thamerlano in minorem Asiam imperium secisse, iamque ab illis Iconium obsideri. Porro Thamerlanus prisca Turcarum Reges longa cognatione attingens minorem Asiam iure cognitionis vendicare videbatur, nulla sane Mollia Huncharii ultimi (vt dictum est) priscorum Turcarum Regis sobole extante, nec pati poterat Othomani pastoris quondam progeniem regnum Huncharie familiæ debitum obtinere, eo magis,

magis, quia non desunt, qui affirment Mollium fraude præsectorum, & imprimis Othomani veneno necatum esse. Bazaethes eo nuntio exterritus confusim cum exercitu Iconium proficisciatur, manumq; cum Tatharo infelici eventu conservit, nam captus in eo prælio turpissime vita in servitute finiuit preter cetera dedecora, quibus à victore insolenter afficiebatur, quoque cumq; Tatharus, ut cibum caperet, accumbebat Turcam catenatum iuxta mensam alligari iubebat, & ossa è mensa proiecit a rodere veluti canem cogebat. Non ita multo post Tatharus seditione domestica in patriam reuocatus minorem Asiam reliquit, Turcisq; huius discessu libertas restituta est, qui Principibus suis Prusam conuocatis Musiam cognomento fulmineum Orchani prænepotem Regem sufficiunt. Hie pace in Asia cum finitimis composita, cum omnibus copiis, quas contrahere potuit, Hellespontum traiecit, bellum cum Græcis gesturus, cum quibus licet varia fortuna diu pugnauerit, sapientiam rictor, quam rictus discessit. Iam assiduis populationibus Græcorum, ac Thracum vires attrinerat, nec quisquam ex finitimis populis erat par illi armis. Itaque finitimis Christianis omnibus rebus exhanfis instandum ratus Hadrianopolim obsedit, breuique ea potitus est suto Rege Vuchasino, qui cum Turcis pro portis Hadrianopolitanis prælium infeliciter commiserat. Atq; quom situs urbis, & regio inter Melantem, & Hebrum annes admodum serax placuisse, huc sedem regiam d'rusa transfluit. Hoc mortuo Bazaethes secundus regnat, qui dum aucti, ac paterni Imperii fines in Europa prorogare ntititur, transgressus Neston amnem, usq; ad Strimonem processit. Non tulere hoc Dardani, ac Macedonum Reguli, verum cœfestim coactis copiis Turci, qui iam strimonem quoque traiecerat occurrunt, atq; non procul ab hoste castra ponunt. Ceterum quom postero die pugna esset ineunda, Lazarus Dardanorum rex Duces suos ad cœnam vocat, obiecturus inter cœnandum Miloni ex purpuratis vni proditionem, cuius à quodam emulo per inuidiam apud se erat criminatus, eo consilio, pri aut in conuictum sceleris animaduerteret (solent enim Illyrici, atq; Macedones vino & que, ac tormentis arcana elicere) aut eo innoxio comperto se se suspitione exoneraret. Itaq; dum se pro instanti pugna licet hilari, non tamen nimis largo inuidarent potu, Rex ad Milonem cōuersus pateram argenteam vino plenam dextera tenens propinò, inquit, tibi Milonium hoc una cum patera licet proditionis apud me sis insimulatus. Ille nullam conscientiæ notam vultu præseferens acceptum hausit procul, deinde assurgens ad regem ait. Rex Lazare quoniam, nec iurgi, nec disceptationis nunc tempus est, hoste iam propè in acie stante, crastino die re ipsa ostendam, & delatorem meum falsum, ac meudacem, & me in regem

## Liber primus.

7

regem meum integra esse fide. Milon, quo, & proditionis culpam in se,  
ut erat, nullam esse ostenderet, & quod raceperat, re ipsa præstaret, pri  
ma luce omnibus in scis concendit equum, & lancea, quam gerebat,  
cuspide auersa, quod quidem transfugæ, ac pacatum insigne apud Illyri  
cos est, ad castra Turcarum accedit. Erat celebre apud Turcas Milonis  
nomen. Itaq; confessim in tabernaculum ad Regem eius adueniū ad  
modum latum est admissus. Ibi Turcarum riti humi procumbens Re  
gem adorat, ac dum submisso capite porrectam Regis manum de oscula  
tur educend o clanculum pugione, quem sinu abditum attulerat, stomachum  
Turcæ iterato iteu haurit, atq; dum sese è tentorio eiucere cona  
tur a Regii corporis custodibus intra tabernaculum confossus interit.  
Huius facinoris monumentum adhuc extat Prusæ, manus Milonis ar  
gento inclusa, ac Bazæthis tumulo affixa. Principes Turcarum ta  
met si Regis nece vehementer essent commori, haud tamen in luctum pro  
iecli, satis sagaci consilio eam, & ab hostibus simul, & à suis, qui ca  
sum regium nondum percepérant, cœlant. Et est gens tegenda suorum  
aduersa fortuna obstinati silentii, neque metu, neque spe vox elici po  
test, qua quod Principes cœlatum volunt, prodatur. Itaq; priusquam  
res magno Turcarum periculo emanaret, in aciem copias educunt, &  
quod pro regis gloria erat faciendum, pro sua quisq; salute agens, ma  
gnis in hostem animis inuehūtur. Nec segnius pugnam capeſſunt Chri  
ſiani. Atrox igitur vtrinq; prælium excitatur, cadunt passim hinc  
Turcæ, inde Christiani. Itaq; Turcæ vix impetum Dardanorum, ac Ma  
cedonum sustinebant, locoq; paululum cesserant alii, fugam alii spe  
stabant. Tunc Duces Turcarum altiore uoce, quo fugitiis clamitant ui  
ri Machometani, à tergo Strymon, leua Aegeum pelagus obstat fugæ.  
Non ne honestius est in acie virorum more cadere, quam tergo hosti  
bus dato vndis ritu pecorum obruius quo cessit ille animus viri Turcæ  
quo transmesso Hellesponto Europæ imperium concupistis? an in circu  
huc vſq; progressi sumus, ut Bulgaricæ genti nostra ignominia decus,  
& gloria peteretur? Non hac Ducum adhortatio modo, sed etiam, ut  
sape fit, salutis desperatio pectora Turcarum accendit, itaque resumptis  
animis multo acriorem pugnam redintegrant, & sese iterato clamore  
in hostem inferunt. Quod ubi vidit Dardanorum rex Lazarus, & erat  
ipse quoq; acerrimus bellator, Turcis, qua impressionem faciebant pro  
tegentibus cum Dardanis equitibus præsenti animo occurrit. Sed iam  
eius equum defecerant vires: nam abortu solis in octauam prope ho  
ram pugna protræcta erat, itaq; rex cernens nouum de integro prælium  
ortum esse, relicto fesso equo in recētiorem parua interposita mora tran  
ſilir, quo quidem facto rem omnem enuit: propterea quod illum sub  
ito

ito non consedium sui cecidisse ratiuebenter turbantur: viderant enim paulo ante suo simul, & hostili crurore (inter primos enim pugnarat) oppletum. Turcae perterritis acris instant, hostemq; & pa-  
nure percussum, & labore fessum haud difficulter in fugam conuertuntur.  
Rex errore suorum intellecto insignis cultu per aciem discurrens con-  
tus est primo Dardanos ad pugnam reuocare, sed ubi uidit se adhorta-  
tione nihil proficere, omnium auribus metu obstructis, & ipse fugae se-  
mandat, fortunam, quæ nihil aliud est, quam Dei constitutio præter  
opinionem hominum enueniens, maxime incusans: magis enim diui-  
nae ira, quam hostili virtuti suorum pavorem adscribebat, quam  
quidem opinionem, uel potius omen ipsius regis exitus statim com-  
probauit: nam dum paulum via militari declinat, victores effugere  
cupiens, in foueam uirgultis tectam, quæ forte ad feras capienda  
facta erat, incidit, collapsusq; una cum equo ab inseguentibus hostibus  
exanimis opprimitur. Turcae, qui paulo arte prope desperauerant salu-  
sem, lati tanta victoria sub occasum solis se in castra recipiunt, atque  
adorata Luna, ut his mos est, prius, quam eibum caperent, inferias Regi  
patrio ritu, haud tam ibi, corpore eius sepulto, dederunt. Postridie eius  
diei, quo hæc gesta sunt, Baszathis filium absentem Mechmethem pri-  
mum, qui eo tempore Prusæ erat, omnium consensu, regem dicunt, con-  
stituto prius præfecto, qui per absentiam Regis exercitiū præfasset, &  
regiam in eos haberet potestatem, atque interim de controvërsiis inter  
eos exortis cognosceret. Curato deinde Regis cadavere, plastroq; im-  
posito, ac Prusam ad sepeliendum ferri iusso, Hadrianopolim profici-  
scuntur haud tam regis casu tristes, quam Victoria lati. Eo nouum  
quoque regem, quo ibi regnum iniret, ex Asia accersunt. Ab hoc Re-  
ge nihil ferè dignum memoratu aduersus Christianos actum est, præter  
populationes, & unum insigne Turcaica clade cum Illyricis Regulis ad  
Drinum amnem prælium. Huic successit Hylladimirus, qui Græcos,  
Macedones, Thraces, Mæsos itidem populationibus valde vexauit: cum  
Sigismundo quoq; Cæsare ad Nicopolim in Triballorum agro, quomodo  
eo ex Hungaria ille Imperator processisset aequo marte semel pugna-  
uit. Hunc secutus est Amurathes cognomento magnanimus, Rex  
mea sententia, & bello, & pace clarissimus. Hic totam Thraciam  
præter Constantinopolim imperio suo adiunxit, Dardanos, Triballos,  
Mæsos, Macedonas cum tota ferè Græcia, excepta Peloponneso, sube-  
git. Decies cum Christianis manum collatis signis confernit, nam quomodo  
deuictis Mæsis, usque ad Danubium, & Pannonios peruenisset, Hun-  
garos in se concitauit: adeoq; acrem hunc hostem habuit, ut iam non  
pro alieno solo, sed pro suis sedibus inter Aetum, & Rhodopem coa-  
ctus

Eius sit cum his decertare. eo enim usque Hungari Duce Sigismundo  
Casare progesi, tandem nescio quo fato, ibi a Turcis callido hoste serè  
victores profligati sunt. Habuit præterea bellum Amurathes cum  
Vuladislao Polono, qui post Albertum Sigismundi generum regnum  
Hungariae obtinuit. Qui quidem Romani Pontificis suasurupto sœ-  
dere, ac per inducias infelici euentu cum Turcis pugnauit, nam dum in-  
ter dimicandum in castra hostium pro victore se se gerens in consulte ir-  
ravit ( alterum enim Hungarorum cornu, cui Janus Chuniades Matthiae  
Coruini pater præfuerat, Turcas in fugam coniecerat ) interfectus est,  
vna cum Iuliano Cesarino Cardinali Sacerdote, sed propter hoc non est  
victa cum Rege Hungarorum uirtus. bi namque Jano Chuniade præfe-  
cto constituto adeo obstinatis animis bellū cum Turcis gessere, ut Amu-  
ratho è Mesia pulso regnum quoque Dardanorum Georgio nepoti ex  
fratre illius Lazari, de quo supra menimimus, restituerunt. Amu-  
ratho extrema atate extincto regnum Turcarum filio Mechmeti secundo  
cessit. Qui quidem perfidia, auaritia, libidine, crudelitate, ira, & impe-  
rio omnes ante se Ottomanos Reges superauit. Eodem anno, quo re-  
gnum iniit, qui fuit quinquagesimus tertius supra millesimum quadri-  
gentesimum humanæ salutis, die ultimo Maii, Constantinopolim post  
obsidionis quartum, & quinquagesimum dicm summavii, & extrema  
oppugnatione capiit. Deinde Teloponnesum, pulso inde Graecum Regem oc-  
cupauit, & demum quicquid terrarum Istro amne, & mari Aegeo, at-  
que Ionio continetur cum toto fere Illyrico, præter maritimam Dalmatiae oram, atque eas regiones, quæ ultra Naronem, & Vrpanum amnes  
Hungarum Regibus parent, in potestatem redemit, Principibus regionum,  
quos inter posita fide ad se euocauerat, nefarie necatis. Verum ubi ce-  
leriter ita non sine suo ipsius periculo tot regna subegit, nam quom per  
Illyricum in explorato, ut pose securus hostium Regulis, ut dixi contra  
fidei religionem interfecit, iter faceret, in eum Nomades Illyrici, quos  
Vulachos vulgo dicunt Duce Vuladislao Coſsico, è mōtibus, qui Dal-  
matas a Mæſis dirimunt decurrentes impetum fecerunt, atque eius ag-  
men perturbarunt, ut bona ex parte Turce in fugam se reliquit im-  
pedimentis coniicerent, sed quia agrestes præda contenti hostem elabi per-  
misérunt, nihil ea eruptione factum, præterquam Turce cautiiores redi-  
dit. Vniuersam præterea Mechmetes minorem Asiam cum tota ferme  
Euxini maris ora armis domuit. Ex Europæo Ponti latere, usq[ue] ad Iſtri hostia, atq[ue] Arpispolim: ex Astatico verò, usq[ue] ad Phasism flu-  
uium, sub imperium suum coegit; omissaque ora Scythia maritima, quæ  
inter Istrum, & Cacinitem finum interiacet, Tauricam Chersonesum de  
Tatharis capiit. Nec minore cura regnum tutatus est, quā auxerit, nam

B nihil

nihil fermè ex his, quæ imperio suo adiunxit, præter duo oppida amisit: quorum alterum in ripis Savi amnis situm est, qua bis Sirmensem agrum, Mæsicumq; interfluit, incole Sabaciam dicunt, Mechmetes ipse ex ædificauit, quo inde Pannonios Turcæ incursarent. Alterum ad Vrpanum amnem ab Illyricis regibus constructū, Lazam vocant, Vrpanumque Hungari Duce Matthia Coruino pulsis inde Turcis vi cæperunt: atque per plures annos ea præsidii impositis obtinuerunt. Bis tantum cum hoste per se acie conflixit, semel cum Hungaris, a quibus haud mediori cæde apud Taurunum oppidum in confluentibus Savi, & Danubii situm, nunc Nanderalbam incola nuncupant, est repulsus. Iterum ad Euphratēm cum Cassano Medorum Rege, vbi & optimum quemque ex suis in acie amisit, & hostis Regis filium interfecit. Hic adeo incerta ab his Regibus victoria tunc pugnatum est, ut ab hoc prælio uterque pro uicto discesserit. Quin etiam sèpius, & in Asia cum variis hostibus, & in Europa cum Hungaris maxime per præfectos pugnauit: quos et si frequentibus vexauerit incursionibus, nunquam tamen acie superare potuit, sed contra sèpius eius exercitus ab his cæsus est. Quod quom sèpe aliás, tum illa maxime expeditione accidit, qua Mechmetes in ea parte Daciæ, quam Hungari Transiluaniam vocant, copias prædatum miserat, nam ex quadraginta millibus hominum vix quinta pars exercitus domum reuersa est, ceteris Regis Matthiae Coruini auspicis, ductu vero Stephanè Botheris eo prælio interfecitis, quo Cereris carna pum, ager est Albæ Iuliæ, strages Turcaica nobilitauit: sed quom Mechmetes Othomanus secundus, cognomento Magnus, plures liberos ex se genuisset, duos tantummodo virilis sexus, Bazaethem, & Gemium sibi superstites reliquit. Bazaethi Amysum urbem cum magna Galatiæ parte, Gemio Pamhiliam viuens adhuc pater attribuerat. Unde scilicet illis ad victimum, & cultum sumptus suspetterent. Vt ergo igitur amicos, fautoresque sibi parabat, atque sicut ambo certa fere spe, ita æquali quoque animo ad paternum aspirabant Imperium, nam quod minori ætas detrahebat, id virtutum, & paterno iudicio, ac gratia satis compensabatur. Ceterum Mechmetes cum circiter duobus, & triginta annis regnasset, dum aduersus Syriae, & Aegypti Regem proficiscitur in confinibus Mysiae, & Bythiniae non procul ab Olympo monte uita excessit, sunt tamen qui afferunt opera Bazaethis filii, qui patri in regnum successit, veneno sublatum esse, non tamen eo, quod, id quisquam pro cōperto habeat, sed ut opinor, ab odio, quo pater filium propter eius ignauiam prosecutus est, dicitur conjectura; satis enim constat Mechmetens denecando Bazaethe cogitasse, quo Gemius, de quo supra meminimus, regni hæreditatem acciperet. Hunc enim pater propter animi magnitudi-

ludinem, & vnicē amabat, & magnificiebat: egregiumq; regem eum fore, & qui Othomanorum nomen summōperē esset illustratus putabat. Quom igitur Mechmetes fato esset functus, quidam purpuratum, qui quidem Gemio erat deditus eum confessim per litteras de paris obitu certiorem facit; hortaturque, ut quam celerrimē Constantino polim aduolet, atque aduentum fratris praevertat. Verum cum litterā ab Achimathe Cossicio Bazaethis genero, qui per id tempus Mysiae in Asia praeerat, forte essent intercepti occasio oblata est Bazaethi, priusquam Genius Constantinopolim accederet, sedem regiam, pater nunquam Thesaurum, qui quidem Constantinopolim afferuabatur occupandi. Quo ubi potitus est nihil obstitit, quominus statim Rex appellaretur: nempe Prætorianos ingenti donatiuo allectos in partes suas traxit. Turcarum enim animi nulla alia re, magis, quam largitione conciliantur quanquam sunt, qui id gloriae non Achimathi Cossicio, sed cuidam Mustaphæ Epirota tribuant. Qui sanè dum ad Bazaethem contendere nuntiatum illi paternam mortem, inciderat in quendam eūdem numerum Gemio ferentem, à quo quom percepisset, quo iter haberet, fingit se quoque eodem properare; atq; parum cautum obtruncat. Quo facto Genio mora iniecta est sedem paternam inuadendi, & Bazaethi spatiū datum, Constantinopolim antequam frater quicquam noui consilii caperet perueniendi. Bazaethes igitur accepto regno, ut à pietate illud auspicaretur patri regio more iusta magnificè persoluit, mox militibus præter consuetum stipendum iterum satis largè donatis confessim aduersus fratrem, qui iam in Bythiniam, qua ea Myssiam contingit, ingressus erat, Prusæque urbis suburbia diripiebat, exercitum misit cum insig-  
 ni Duce Achimathe Hiedio, qui Hidruntem oppidum in Salentinis paucis ante mensibus Mechmetis Magni auspiciis expugnarat, atroxque Regi Neapolitano Ferdinando bellum conflauerat. Bis itaq; commissario prælio Genius tandem prosligatur: fugaq; in Cariam, mox Alicarnassum delatus est. Inde tuto accessu impetrato Rhodum sese recepit. Et ibi quom Genius quinquaginta circiter fidis clientibus comitatus profugisset, credens ibi fidem inuiolatam fore; atque aliquid inde subfidi afflictiis rebus accessurum, statim in custodiā traditus est. Interiectis aliquot diebus Rhodii equites ex collegii decreto mittunt ad Bazaethē cum his mandatis oratores: ut scilicet si uellet fratrem in perpetua teneri custodia, solueret quotannis quadraginta millia nummum aureorum arbitrantes eo consilio, & Rēgem Turcarum sibi valde obnoxium futurum, & apud reliquos Christianos id splendori fore; Bazaethes primo Rhodios, ut precium pro nece Gemii mallent accipere, quam eum viuum custodiire tentauit, ratus, ut erat, eius morte regnū sibi stabilitū iri.

Verum ubi aliquamdiu fraternum caput ne quicquam licitatus est,  
 haud enim Rhodiis è re sua fore videbatur, prodito Gemio tantum Ba-  
 zaethi demere metum, oblatam accepit conditionem. At Rhodii simul  
 Turcarum propinquitatem, animumq; inimicum, simul validas uires  
 formidantes, Gemium naui oneraria impositum in Galliam auexerunt,  
 ibi in quodam castello sua ditionis in libera custodia teneri iusserunt.  
 Ea tempestate Matthias Corvinus (quo cum Turcæ, ut pote finitimi, bel-  
 lum continentem gerebant) Hungaros imperitabat. Is sperans si Ge-  
 miūm in potestatem haberet, non solum facile consecuturum, ubi Bazæ  
 thes intra fines suos se contineret, atque inualidior viribus fieret, cer-  
 to enim sciebat Gemium a popularibus studio, ut sit, nouarum rerum  
 valde desiderari: verum etiam se bonam imperii partem eo facto Tur-  
 cis adempturum: quippe arbitrabatur Bazæthem fraterno metu nullā  
 pacis conditionem, ab se dictam recusaturum. Legatos ad Lodouicū  
 Francorum Regem Turcam petitum mittit. Gallus ne Rhodiorum ani-  
 mos offenderet, negat se Hungaro, quod postularet, iure prestare posse,  
 excusans, Turcam haud quaquam esse sui iuris: ut pote quem Rhodiū  
 per se custodirent. Non ita multo post Innocentius Octauus Ponti-  
 fex Romanus, & sibi amplum fore putans Regem Turcarum tributa-  
 rium habere, & tanto auro potiri cupiens oblatæ Rhodiorum Principi  
 dignitate, qua Cardinales Romanæ Ecclesiæ insigniti sunt, agit cum illo,  
 ut Turcam sibi traderet. Mortuo Innocentio Alexander V I. Ponti-  
 ficiatum adeptus Gemium in Caroli Octavi Francorum Regis tunc Nea-  
 politanum regnum petentis coactus permisit potestatem, dato ei (ut di-  
 citur) prius veneno haud quidem presentaneo, sed quod ad occultandæ  
 facinoris inuidiam, a liquet diebus mortem protraheret. Hunc finem  
 Geminus Othomanus habuit. At Bazæthes cum sex decim prope an-  
 nos, vsq; ad fratris obitum regnasset, nulla ferme arma in Christianos  
 mouit, nec quemquam de his locum cepit preterquam duo ignobilia cir-  
 ca Istram castella Cellias, & Monocastrum, que quidem in Carabog-  
 danis fuerant ditione, magis ab incolis destituta sunt, quam ab hosti-  
 bus vi capta. Porro Valachia, cuius pars ad ortum solis extiitum spe-  
 ctans Moldania dicitur (ab antiquis Dacia appellabatur) a Trans-  
 strana Hungaria montibus tantum ac sylvis se iuncta est, qui quidem  
 montes à Carpato in austrum excurrentes vsq; ad Istrum ferè annem  
 protenduntur. Huius incolæ regionis, cum Turcis, à quibus Istro flu-  
 mine dividuntur multis annis varia fortuna bellum gessere, tandem ma-  
 gis populationibus, quam præliis fessi tributi pensione finem incursio-  
 nibus imposuere. Cæterum Albertus Rex Polonorum victoria recenti  
 elatus, bis enim post acceptum Regnum cum Thataris (gens scytha-

rum

rum est Turcaica Chersoneso accola) prælio commisso prospere pugnauerat, iam in Moldauiam, quæ hæc Regio Rhoxolanos attingit, cum ingentibus copiis ingressus erat: per speciem quidem bellum confessum cū Turcis gesturus: re vera Getas, quos Moldouis nocant, imperio suo adiuncturus, quibus scilicet inditionem redactis de proximo bellum Turcis inferret, sed nihil diu simulari potest; nam quod Albertus longe alia quam, quæ præseverebat, animo agitaret, mox detectum est. Turca duo castella (prout supra demonstratum est) a Bazacthe Turcarum Rege de Moldouis aliquot ante annis occupata præsidii obtinebant Moncastrum alterum, alterum Cellias incolæ vocant: utrumque autem in Getico agro ipsius Istri ripis impositum est. Igitur Albertus, vt dictum est, simulans se amicum Getis esse, atque aduersus Turcas propugnatorem, defensoremque futurum pollicitus erat, antequam quicquam rei gereret, hæc castella oppugnatum ire, receptaque Moldouis restituere, sed quom animo proposuisset, priusquam Turcas aggredieretur, Moldauiam in potestate redigere: quo præter quam quod Getice fidei parum credendum putabat: (differunt enim Vulachi à Romana Ecclesia non religione, sed ritu sacrorum) suo non alieno arbitratu, sociorum viribus, operaque in Turcas vteretur. Omissis interim Celliis, atque Monastro, munitioribus Getarum locis præsidia imponebat, per speciemque tutandæ Moldauæ. æque ac regem imperviosissimum sese gerebat. Stephanus Carabogdanes eo tempore Moldouis imperitabat, vir licet atate iam exalta, animo tamen ad bellum sat's promptus. Is plane perspecto Alberti consilio, simul suis ipsius viribus imparem se illi iudicans (neque enim solo Hungarorum auxilio satis confidebat) vt potè à Vuladislano Alberti fratre missio Turcas, à quibus tributi pensio in amicitiam receptus erat, in auxilium concrè statuit, quo scilicet Polonis maiorem inciteret motum. quippe Turcarum nomen id temporis ob imperium partim in Asia partim in Europa late patens, maximum erat. Geta igitur Regem Turcarum ad bellum aduersus Polonos sumendum hunc in modum per epistolam est hortatus. Stephanus Carabogdanus Bazacthi Othomano Regum maximo salutem. Compulsus Polonorum terrore, qui à me nulla iniuria lacepsiti, sed profunda dominandi cupidine ingentibus copiis procurationis quidem meç, verum imperii tui regiones adorti sunt, à tua iam descissim societate: ni animo proposuissim eodem fidei tenore erga te perpetuo permanere, & talis in te semper esse, qualis fui cum primum tecum amicitiam institui; cœpique anno colere tributo tuae fortune magnitudinem: quæ non modo finitimis gentibus ante tulit, sed etiam ceteris orbis Regibus altius euexit.

Itaque

Itaq; nisi mihi maturè suppétias tuleris, salua quidem sociali fide,  
 quam profecto, quantum in me erit ad vltimum præstaturus sum,  
 non me post hac, sed Polonum, cuius sane viribus omnino impar  
 sum conterminum habebis; nam qui mihi parent, licet & ipsi tibi  
 sint deditissimi, malunt tamen voluntario officio pacem à Polonis redi-  
 mere, quam bello vitti iugum accipere, atque imperium pati. Scito au-  
 tem Albertum haud ea spe in nos impetum fecisse, quo scilicet ab actis  
 dumtaxat nostris pecoribus, (hæc enim iniuria solum præter liberta-  
 tem nobis ab externo hosti inferri potest) ad suas sedes reddita nobis  
 pace reuertatur. Etenim nobis exploratum est illum tanta animo con-  
 cepisse, quanta qui vis maximi animi, atq; imperii Rex concupiscere po-  
 test. Caue igitur, ne hic hostis postea quam me oppræsserit, tibi quoque  
 mox graue exhibeat negotium, nam si me superato tela cessere cœpit,  
 quod quidem se propediem facturum denuntiat, profecto cæteri Christia-  
 ni, quibus sane Polonus bello impares esse constat, etiam oppugnare au-  
 debunt. Atqui velim te non fugiat Christianis Europæ accolis longe  
 difficilius esse bellum aduersus te incipere, quam gerere; putant enim ad  
 huiusmodi expeditionem auctorem, ac coitionem magis, quam vires de-  
 esse: quippe sine mari, sine terra res gerendaæ sint, omnia illis assatim  
 suppeditunt, arma, equi, varij generis tormenta naues, rei nauticæ peritia,  
 pecuniae, pedites, equites, militaris artis scientia, Duxum virtus, & ani-  
 mi magnitudo. Quare non minus è re tua, quam mea feceris, si præci-  
 bus meis admissis confestim dederis operam, ut quam primum sciant  
 Romani ritus Christiani te non modo inuestum, sed ne leui quidem iniu-  
 rie esse opportunum. Quo facto, & mibi tutelæ tuae commisso è digni-  
 tate tua consultum erit, & imperio tuo maxime cauebis. Hac Geta se-  
 cutus sane consilium, nec Christiano homini satis honestum, nec impe-  
 rio suo in posterum satis tutum, nam ut apud Dalmatas in proverbio  
 est. Quodcumque solum Turcæ equorum suorum vngulis contigerint,  
 illud de cætero ne vernis quidè imbribus reviuiscere, aut bæbris uestiri,  
 quo sane proverbio arguitur eorum tum stultitia, tum impietas, qui ope  
 communium hostium suas vñscuntur iniurias, quom longe præstet ob  
 Christianæ reip. utilitatem regno potius cedere, quam Turcarum armis  
 illud retinere, quippe quorum amicitiam maximis iniuriis, ac demum  
 libertatis precio Christiani semper pararunt; Turcæ enim cum Christia-  
 nis nulla alia causa iunguntur, nisi ut demum opprimant incautos, vnde  
 qui illorum fidei minimè credunt maxime tuti sunt. Bazaethes litteris  
 Stephani Carabogdanis acceptis exemplo eos, cum quibus de grauiori-  
 bus negotiis consultare consueverat, ad se vocat, atque ad eos ex litte-  
 ris refert, nemini res contemnenda visa. Itaq; omnium consensu exer-  
 citus,

signat.

titus, qui Polonis resisteret, paratus est, iussusq; in ceteroribus Istris ri-  
pis è regione Vualachiae castra ponere, mandatumq; Duci, ut si ex vsu  
esse arbitraretur Istrum traiiceret, sed manum cum hoste haud prius co-  
sereret, quam fidem Getarum experiretur: verebatur enim Turca ne  
quam fraudem Vualachi molirentur, eo quod arbitrabatur eos, ut ferè,  
¶ ceteros Christianos malo esse in Turcas animo, & quia sapius illa  
gens potius, quo fortuna vocaret, quam fides, inclinarat arma. Igitur  
posteaquam Turca animaduertit Carabogdanem, ob uastatam regionē  
suam iusta ira in Polonum accensum: opemq; absq; villo dolo implora-  
re, partem ferè tertiam copiarum traiecit, duas reliquas in iisdem ca-  
stris reliquit, ne sociorum agris multitudine oneri esset: quom praefer-  
tim expeditio haud magnis copiis indigeret: propterea quod graue Mol-  
dauiæ ( vt arbitror ) Polonis cœlum omnem penè exercitum cum ipso  
Duce valitudine tentauerat: magna pars Polonorum, quæ maxime la-  
borum insuta, verum necessariarum inopiam, longinquaniq; militiam  
molestius tolerauerat, morbo absumpta erat. Vualachi Turcharum au-  
xiliis freti confestim è montibus, ad quos cum familiis animaduerso  
Polonorum hostili animo conseruerant, descendunt: his enim mos patrius  
est, hostem in patentibus campis nequaquam opperiri: verum exustis ui-  
cis, & pabulo corrupto iuga montium petere, atque inde ex occasione  
preliis hostem laceſſere. Itaque coniuncti cum Turcis haud procul a  
Polonis confedere, aduersa hostium valetudine, magis quam suis viri-  
bus confisi. At Poloni simul suorum, ac Regis ægritudine, quæ quidem  
eorum incepta vel maxime irrita fecit, simul noua Vualachorum auda-  
cia, Turcicisq; auxiliis, quæ ab ipsis Vualachis de industria iactata,  
multo maiora uero putabant esse, perterriti, omittenda expeditionis, at-  
que ad patrias sedes reuertendi capiunt consilium, sero temeritate sua  
animaduersa. Præmissis igitur modico preſidio carris, quibus impe-  
dimenta rebabantur, iter propter radices montium, qui Moldauiam ab  
Hungaris dirimunt, arripuere haud tamen raptim cum agmine inceden-  
tes, ne valetudine correptos hostibus trucidandos relinquenter, simul ne  
profectio fugæ similis esse videretur, quæ res hostium animos uehemen-  
ter solet excitare. Quod ubi Vualachii animaduertunt: ocyus Polo-  
norum iter præuertere statuunt: atque antequam Poloni ualle, ac  
saltibus excedant in eorum impedimenta irruere; iussis Hungaros,  
Turcisque extrellum fugientium agmen carpendo turbare. Non  
defuit consilio fortuna ( per fortunam Dei voluntatem intelligi uo-  
lumus ) nam Vualachi regionum notitia celeriter suscepimus iter per  
duortia emensi, Polonorum impedimenta partim ex aduerso his oblati,  
partim à latere inuidunt, & ne quid terrori deſſet, quidam è ingis  
mon-

montium recurrentes missilibus hostem metu simul, & valetudine ad repugnandum segnem virgebant. Itaq; Poloni multiplici malo circumuenti dum magis saluti, quam sarcinis consulunt, magna ex parte impedimenta cum aliquot militibus, qui hostilem impetum strenue pugnando sustinuerunt, amisere, atq; in patriam regressi sunt, precium in consulta expeditionis dedecus non sine detrimento reportantes. Carabogdanus, postea quam Poloni eius fratribus excesserunt, Turcas hostilibus spoliis munificè donatos, recipi ultra Istrum, & terram suam externo exercitu exonerari iubet, Legatosq; cum donis fortunæ suæ congruentibus, qui de ope allata Bazaethi gratias agerent, mittit; remq; vti gesta erat indicarent. Quod eo consilio fecit ne Turcæ, qui nomine tantum non armis Getas inuerant, totam profligati Poloni gloriam sibi apud Regem haud sine Christianorum contemptu vendicarent, quom eius maior pars tum ad Getas, tñ ad Hungaros pertineret: non contemni enim ab eo, quod cum nulla firma societas esse potest, non modo gloriosum est: verum etiam valde tutum. Etenim Turcæ si quando nobiscum fere coeunt, haud nostro illud, sed suo metiuntur emolumento. Bazaethes cognitis, qua in Moldovia gesta erant, animum in Christianos diu metu fraterno coercitum vehementer exacuit. Nam enim Genius (ut diximus) Bazaethis frater veneno necatus interierat, cuius sane interitus Christianos Turcis praesertim conterminos non mediocribus afficit incommodis: propterea quod Bazaethes, qui antea ueluti frenis, quibusdam compedibus vincitus continebatur, sublato fratre non secus, ac foro bestia refractis claustris erupit in nostræ religionis gentem: atq; ex inde uasionem quæsivit, qua vel hic Christianis, quibus cum illis pax erat, modo hi opportuni essent iniuria, arma inferret. Itaq; Carbaliam à Catharenis propter acerbas fructuum ex actiones ad Turcas deficiendum: quom per fœdus inter Turcas, & Catharenos ictum id fieri non licet, suo adiunxit imperio. Est autem Carbalia Dalmatiae regio, sinus imminens Rhizonio, agri eius fructus Ascriuienses, quos nunz Catharenos dicunt, prius quam illa regio ad Turcas defecisset, percepérunt. Cæterum occurrebat animo eorum ritu, qui compositis actionibus sese in scholis declamando exercent, nostratum impendentes simul, & recentes acceptas deplorare calamitates, quas quidem institutarum rerum ordo exigit commemorare, atq; ea stylo prosequi, que profectò, neq; sine granu mero monimentis mandari queunt: & in maximum essent Christianos Principes odium inducenda, modo id à lege historie non abborreret, & vis ac facultas orationis nrae rei gestæ exequare posset atrocitatem. Evidem animaduertens quoniam ceterorum Christianorum, cum patriæ meæ periculum, vix mihi temperare possum, quin eos. Principes

cipes, ne dicam immanissimos gentis sibi creditas prædones, qualicumque accusem oratione; qui sane aurum, fragile emolumentum secuti, mortem, ut fama est, Gemio Othomano nefariè intulerunt. propterea, quod illo viuente, ut paulo ante demonstratum est, nunquam voluntam aduersus Christianos alicuius momenti expeditionem Bazaethes ausus esset. At domestico metu liberatus statim animo consilia volvare cœpit Christianos aperte oppugnandi, atque opportunitate rerum gerendarum, que ad illam diem hanc quamam potuerat vti. Itaque ubi Turcae, qui in Bazaethis regno alicuius numeri erant Regis animum iam erectum, atque ad bellum inclinatum animaduertunt spe nonarum expeditionum (hi enim nihil minus, quam ocium ferunt) confessim pro se quisque arma, equos, clientes summo studio parare cœperunt. Ducecumque in primis aduersus Polonos omnibus concilia bulis identidem flagitare, id maxime agitantes, ne non sine Turcarum dedecore Polonorum Regis mina impunæ trasmitterentur. Igitur ex veteribus prouinciarum præfectis Balyb Marconius, qui & ipse ab Othomano longa cognatione genus ducebat, ratus, ut erat, iam tempus aduenisse, quo Bazaethes facile ad bellum impelli posset ad eum accedit, atque data dicendi facultate tamē orationem habuit. Nemō præfectorum tuorum Rex Bazaethes autē bac est ausus te ad voluntam nouam expeditionem suscipiendam adhortari, tametsi, & animi tui magnitudo, & glorie studiuu omnibus tuis satis perspecta esset, eo quod neminem latebat, te non nisi iustis causis arma consuesse in hostem mouere, atque eos tantummodo bello persequi, qui te iniuria vultro affecerunt. Nunc autem prouocatus à Polonis gente deside, omniumque ignauissima permitte, vti per me illi intelligent, quibus viris tuum munitum sit imperium, & quam temere quiescentem lasserrunt Leonem. Certum est enim mihi, si me iusto exercitui præseris, Poloniāque prouinciam meibi destinaueris, eam gentem tantis adibus afficeret, vti de cetero non modo non minentur Turcis, qui ductu, & auspiciis Othomanorum bonam Asie, atque Europa partem subegerunt, verum nomen quoque eorum per horrescant. nam si per te licuerit quidquid agri inter Tyram, & Carpatum montem ad Regem Polonorum pertinet, populabundus peragrabo, Rboxanisque mancipiis omnes regiones, quæ tibi parent, explebo, terrasq; regni tui, qua hæ cultoribus vacue sunt captiōrum multitudine frequentissimā reddam. Nec putes quicquam periculi ab illis gentibus nobis impendere posse. Luxū omnia ibi fluerē audio, Baccho tantūmodo indulgent, & Veneri, quorum s. sacra per totū annum ab illis continenter celebrātur, ut neq; orientē, neq; occidentem solem quispiam eorum inquam aspiciat.

C Aestate

Aestate nihil præter choreas puellarum, ac iuuenum cibo, pótusq; mā-  
dentium per virbes, & pagos spectare licet. Per totam uero hyemnem  
veluti insecta animalia, quæ hiberno tempore subterranea petunt loca,  
in cellis caldariis abditi, perpetua item crapula graues iacent, corpore  
pariter, & animo torpentes. Quare magis nobis timendum est, ne ob  
illius tam desidis gentis ignauiam haud satis egregiam potius reporte-  
mus vittoriam. Hac Marconius oratione traducto in suam Rege sen-  
tentiam Polonorum obtinuit prouinciam: Magna igitur Turcarum  
manu coacta (bi enim rapto, ut plurimum vinunt) ad Istrum, qua hic  
annis Pencem circunfluit Insulam profectus est. Hoc in loco lustrato  
exercitu ex omnibus copiis circiter quadraginta millia hominum, qui  
armis, & equis erant instructiores, de legit, atque cum his trajecto Istro-  
ia Moldonię perrexit. Ibi ad sex millia Valachorum, quorum ira  
in Polonus nondum deferuerat, cum eo se se coniungunt. His ducibus  
ad Tyram annem, qui Dacos, & Tathbaros disternat, accessit. His in-  
locis aliquot dies moratus, dum, & exercitus ex itinere fatigatum re-  
ficeret, & Tathari, qui nunc terras mari adiacentes inter Tyram, &  
Tanaim incolunt in partem præde vocati se se Turcis aggregarent. nam  
& ipsi Turcaico ritu Christianorum regiones incurvant, prædaeq; & la-  
trociniis maxime student. Cum hoc agmine Bals Tyram dextrorsum,  
Scythicos montes à læua habens, qua minimè regio vicis est frequens in  
septentrionem incessit quindecim dierum iter absque ullo maleficio  
emensus, ne per tumultum præda è manibus prius elaberetur, quam re-  
gio, quæ euastanda erat, hostilem sentiret incursionem, atq; ita in Rho-  
xanorum agro vicis admodum frequenti, non procul a radicibus mon-  
tium, qui Polonus à Rhoxanis seiungunt, confedit, castris in quodam  
tumulo paulo editiore communitis, exploratisq; omnibus circa locis, ne  
qua forte essent insidiæ. necnon præsidii dispositis, qua venturum ho-  
stæ suspicio erat (allaturum enim opem suis Albertum omnes cre-  
debant) copias præ datum emisit. Igitur hinc Tathari, inde Turcæ, atq;  
Moldonii consensis equis, quos ad id temporis manu duxerant, quo his  
inter excurrendum recentioribus rterentur, Rhoxanos uicatim sine ul-  
lis ferè viribus habitantes ueluti indagine vndiq; circumuentos ado-  
riuntur, & est regio incursionibus propter patentes campos admodum  
opportuna. At illi inopinato malo exterriti, quom alioqui armorum  
essent insueti, tantummodo enim agriculturæ student, neque se se armis  
defendere, neque diffugere regionibus vndiq; obcessis, ac armato hōste  
completis nituntur, sed veluti pecora in manus hostium una cum omni-  
bus fortunis inciderunt. Clades regioni illatas, cædes hominum rapi-  
nas, pagorum vastationem, sacrarum ædium incendia, raptus virginum,

ac

ac puerorum, ceteraque; quæ prædones, & fæda factu, & relatu haud honesta, in captiuos ediderunt, silentio tegam, ne ea narrando eleuem, quæ sanè miserrima omnium ætate nostra euenerit, quom ignauia, tum disfensionibus Principum Christianorum: qui quidem dum quisque alienæ inuidet gloriae, nulla prouersus queunt coire societate, aut in communem hostem opportunè componi. Centum propè millia hominum capta esse feruntur, nullo fere prædonum in populatione vulnerato ne dum interfecto, præterquam circiter quingentos, qui profecto haud hostili ferro, verum cuiusdam rici ab se capti incendio fortuito noctu latè effuso perire. Postea quam aliquot dies populando absumpti; prædones suas quisque sedes cum præda, quæ cuique obtigerat, repetiuere, nullo non ante libidinis, ac crudelitatis genere in Rhoxanos ædito. nam nequid potremo calamitatis infelicissimæ deesset genti, omnes qui aut valetudine, aut senio itineris labore pati nequibant, interficti sunt, hoste barbaro, ac omnium immanissimo beneficij loco saeuissimam inferente mortem: quam sane miseriarum finem corporibus ita affectis prædicabant esse, quanquam noti captiuorum fortuna ea crudelitate consultum uolebant, sed sauitiam suam eorum morte ex faciare, quos in servitutem abducere non poterant. Ceterum Marconius quom quartum tandem à profectione mensem commissum sibi exercitum ad Istrum reduxisset, eo regius Questor, qui mancipia recenseret, Regique quintum quodque mancipiorum caput de more acciperet à Constantinopoli accessit. Is dum inter recensendum quemque præstantiorem forma captiuum Regi eum attributurus feligit penè à quodam Marconii milite interfectus est; nam ceteris tenui tantum murmure indignationem præferentibus, eo quod Regis desidia æquale prope emolumentum cum his acciperet, qui acerbissimos labores, ac ærumnas in expeditione passi fuissent, ille collectâ iram haud quaquam verbis effundens stricto ense in Questorem irruit, occisurus eum nî circunstantes inhibuissent commilitones. Atque licet huius viri dolor, ac indignatio haud omnino iniqua foret, modo citra ritus, & gladii educationem, quod apud Turcas capitale est, extitisset, mox tamen factus læsa maiestatis reus dignas audacia sua pœnas dedidit; nemine enim hoc supplicium depræcari audente, Bazæthis iussu pa lo affixus est, eadem nimirum saueritate Turcarum rege in suos, quæ domini in seruos imperium exercent. Ingenti præda quom ceterarum rerum, tum hominum è Rhoxolano agro abatta, cognitaque Polonorum ignauia Turcarum animi ad Poloniam denuo incursandam vehementius, quam antea inflammantur. Igitur expeditio in Polonus iterum decenit, haud tamen sine quorundam purpuratorum certamine, dum sibi quisque banc prouinciam de mandari nititur, sat emolumenti,

C 2 atq;

atq; gloria Batym Marconium è Polonia reportasse, pro se quisq; apud Regem contendebat: atq; haud esse æquum, neq; ex vsu regio fore, vni duntaxat tantam splendoris materiam præberi, quom gloria immodi- ca humanus animus maxime in solecat. Quin etiam oportere aliis quoque virtutis explicandæ dari occasionem, quo exteris nationibus festatum sit non vnum duntaxat, sed complures esse, apud Turcarum Regem duces, qui aliqua polleant uirtute. Quom his uocibus, quas scilicet cuiq; aut sua cupiditas, aut alienæ gloriae dolor effuderat Regem moueri Marconius intellexisset, hand mediocriter animo turbatus Regem adiit, atque dicendi impetrata potestate ita disseruit. Etsi super vacaneum puto Rex Bazæthes apud te suspicionem refellere, qua in mei odium tuis auribus amuli mei obstreput, nattii crimiaum occasionem ex ea victoria, quate Deus maximis laboribus meis in Polonia honestauit: quoniam, & calumnia naturam, quæ est prudentia tua, tibi satis notam esse scio: & quia si atas mea (iam septuagesimum prope annum ago) ab hac suspicione me parum vindicaret, Certe idem tanti temporis fidei tenor, quom in parentem tuum, tum in te ma- xime perspectus, ab ea me prorsus eximeret, securumque iamdiu co- gnitu data redderet integritas, non possum tamen de iniuritate adver- sariorum meorum non conqueri, qui quidem non modo impudenter sed etiam scelerate, & mihi virtutis premia, & tibi maximum no- minis, ac gloriae accessionem corrumpere conantur. Etenim non me- diocris est amulorum simul impudentia, simul iniquitas, tantopere contendere, ut mihi ea auferatur prouincia, quam ego, vti tuum no- men apud omnes gentes illustrius facerem, non modo primus, sed etiam solus Dicum tuorum aggredi ausus sum, spretis tot immense itineris laboribus, ac hosticis periculis, quæ profectio, si hostis pri- dentior fuisset, nobis procul dubio (tantis extitit tui honestandi omnibus ardor) erant subeunda, vix enim sexagesimo à profectio- ne die, multis ingentibus fluminibus, atque paludibus transitis, montibus aspermis superatis, & quod his non minus grue est, ua- sis terribili solitudine campis peragratis, regnum Alberti propè consecuti itinere, commeatusque inopia attigimus. Quid vero ibi tuis auspiciis gesserimus, quantum tibi gloriae, fructusque hæc expedi- tio pepererit velim ipse per te me tacente reputes, ne ea parum pri- denter iactare videamur, quæ sane tue magis fortunæ, quam nostræ virtuti tribui debent, ea nimis conditione omnes tuos natura in lu- cem addidit, ut quicquid decoris virtute sua, industria, vigiliis, labo- re parare possent, id totum te maxime illustraret. Cæteris vero tuo- rum tantum ex eo laudis accederet, quantum tu ipse permisisses. nemo enim

enim remigi potius, quam nauis gubernatori rei nauticæ bene gestæ  
affixat decus, nec colono prater constitutam sripem, licet ille laborem  
suum incolendo agro impenderit, sed domino cedunt prouentus. Atque  
id quidem recte institutum esse affirmauerim, ut is scilicet maximum  
eius reiferat fructum, cuius potissima ipse extiterit causa. propterea,  
quod sicut celestia corpora à sole, seu à cælo empyreo lumen suum mu-  
tuantur, & quemadmodum vnius cuiusque animantis membra totam  
vrim suam à capite, seu à corde trahunt, ita qui sub Regibus atatem  
agunt ab ipso Rege omnem virtutis materiam tanquam à fonte dedu-  
cunt. Ceterum nec æmulis meis Othomani prole munere Dei floren-  
tissima vñquam deerit virtutis ostendenda occasio, modo his satis ani-  
mi adsit, pro Regis sui, ac Turcaici nominis gloria labores, & peri-  
cula, vt viros decet, subeundi; quandoquidem innunere penè Chri-  
stianorum regiones Turcaicis armis adhuc intactæ, ante oculos expo-  
sita iaceant, unde sanè non minus splendoris, quam fructus repor-  
tari posse nulli dubium esse debet. Cognoscant nou solum Poloni, sed  
& ceteræ nationes Bazaarum viris fortissimis abundare. Vicina est  
nobis Hungaria. Ei contigi sunt Alemani, nec procul abest Italia  
sicut armis militiae desuetudine propè nuda, atq; admodum imbellis, ita  
opibus ob terræ felicitatem, & mercaturam, cui soli dedita est referen-  
sima. Vide quot pateant (modo absit liuor) clarissimarum viae expe-  
ditionum, quot rationes in promptu sint virtutis exercenda. Ad tuam  
igitur Regum maxime spectat equitatem, ne æmulorum inuidia me, vt  
ita dicam, iam segetibus matu'is ab eo deturbent agro, in quem va-  
cans primus ipse ueni: quem ante hac intactum meo proscidi aratro,  
in quem denique semina manu propria ieci. Vnde licet quicquid rex  
constituerit exequendum sit, Regi enim perinde ac Deo parendum est:  
si hæc mili optio tua benignitate daretur, malim noctu tuo mihi vi-  
tam eripi, quam aduersiorum obtreffatione ea prouincia immerti-  
to spoliari, quam sanè tua fretus fortuna ita euastau, ita attrini,  
vt iam nihil magis, quam te, Turcarumque arma illa gens exti-  
mescat. Postquam Balys perorauit ex templo Rex vuln' solito le-  
tiore ei manum (quod quidem haud tenue apud Turcas beniuolen-  
tiae signum est) porrexit, Duceamus iterum aduersus Polonus ma-  
gno ceterorum prefectorum dolore creat, eo quod vt aquum ita,  
& tutum visum est, ueteri, ac perito belli Imperatori illam de-  
mandari expeditionem: quandoquidem, vt supra demonstrauimus,  
hic vir Polonæ fines Turcis primus aperuerit, sed mens homi-  
num successibus cœca haud sepe futuros prouidet euentus. Nam  
Balys nimium sue spei indulgens extremo serè autumno in expe-  
ditio-

ditionem profectus non modo vacuuus præda domum reuersus est ( nem-  
 pe Poloni cognito hostium aduentu in munitiora ex agris loca demigra-  
 runt ) sed etiam inde rediens circa Istrum coortis subito tempestatibus  
 adeo male habitus est, ut ex octoginta prope millibus hominum, qui se-  
 cum in expeditionem iuerant, uix tertiam partem domum reduxerit :  
 equorum insuper centum millia, ut fama est, amissa sunt, singuli enim,  
 uel infimæ fortunæ homines binos in expeditionem ducunt equos, uno  
 in itinere, altero quom hostilem agrum incurvant, vtuntur. Turcæ igi-  
 tur dum Poloniam petunt, ad temporis incommoda uestis inopiam ad-  
 dunt. nam quo essent in itinere expeditiores ueste tantum, qua per asta-  
 tem uti consuerunt, sese munierant, rati si eos forte saeior byems de-  
 prehendisset, spoliis hostium sese à frigore defensuros. Verum his lon-  
 ge secus, quam sperauerant, res cecidit, regressi enim penè seminudi è  
 Polonia circa Istrum, vt diximus, adeo atroci vexati sunt tempestate,  
 vt paucis diebus magna ex parte interirent, nec quisquam ex gregariis  
 superfuisset militibus insolita ui frigore saeuente nisi propere in Mae-  
 siam traectos mitius cælum, & pagi Turcaicæ ditionis excepissent.  
 Circumstrana terra niue gelu concreta oppleta erat : in ea corpora fa-  
 me, & longi itineris labore defatigata sternere cogebantur. Eo quod  
 à Dacis Moldoviis propter iniurias dum in Poloniā proficerentur  
 illatas tectis hanc quaquam accipiebantur. Itaq; eo præsertim die  
 qui Non. Ianuar. illuxit decem millia ferè hominum frigore ex anima-  
 ta in vtraq; Istri ripa conspecta sunt. Cernere erat humana corpora  
 cadaveribus iumentorum permixta passim iacentia, alia ita torpentina,  
 vt vix tenuis spiritus his inesset, nonnulla extremis pedum, ac manu  
 digitis, auribusq; & naribus adustis adeo fædè deformata, ut similiora  
 inusitatibus quibusdam simulachris, quam humanis corporibus esse uide-  
 rentur. Nunquam uno prelio tantam cladem Turcas, aut accepisse,  
 aut intulisse memorant. Itaq; re, vt sit in religionem uersa varias bu-  
 ius calamitatis causas suo quisque ingenio interprete vsus extitisse ar-  
 bitrabantur. Alii Marconii impietatem merito a Deo multatam affir-  
 mabant, eo quod sibi potius, quam Deo, ad quem sanè Turcæ omnia re-  
 ferunt Roxanam victoriam per arrogantiam attribuisset. Alii, qui  
 scilicet res mortalium magis consilio, quam fato regi censemant, impru-  
 dentiam præferti accusabant, quod in regiones perpetuo penè frigore  
 damnatas alieno rebus gerendis tempore copias induxisset. Ceterum ne  
 Turcarum animos illa calamitate infractos esse Hungarus, & uicinus,  
 & per se grauis hostis arbitraretur, Bosnensis Satrapes nulla fæderis  
 habita ratione, pax enim inter Hungaros, & Turcas erat, contractis  
 quingentis eirciter partim equitibus, partim peditibus præ datum in eam  
 par-

partem Dalmatiae, quam Choruatiam appellant, est profectus. Quod  
vbi Ianus Corvinus Dalmatiae praefectus cognovit, & ipse dimisssis per  
regiones sue prouincias nunciis ad trecentos equites celeriter contrahit.  
Atq; vt sunt Hungari elationis spiritus, ne numero militum, sed virtu-  
te potius superior esse uideretur, cum hac tantu manu obuiam hosti pro-  
greditur, nec tamen fortuna destituit temeritatem. Erat apud Ianum  
quidam Dalmata Cara Michael nomine vir, & animo, & corporis ui-  
ribus in paucis memorandus: Miles fuerat quondam Regis Matthiae  
Corvini, verum ab eo ad Turcas metu iudicis transfugerat, quom latro-  
cinii cuiusdam esset accusatus. Aliquot post annis Matthia extincto  
in Hungariam redierat, multis apud Turcas p̄aeclaris facinoribus edi-  
tis, quibus quidem viri fortissimi nomen adeptus erat. Is igitur quom  
centum tantummodo p̄aeasset equitibus ab ipso Iano ei attributis fre-  
tus uirtutis sue fama rem summe audaciē est aggressus: p̄amissus enim  
à Duce cum turmatibus duntaxat suis ad explorandas hostes, adeo ala-  
cri animo occurrentes Turcas est adortus, ut eos statim in fugam con-  
uerterit, in qua quidem fuga plusquam dimidiā eorum partem occidit  
nullo ferè ex suis amissō; tanta profectio fuit sue Turcarum formido,  
quaē quidem rem, uel maxime solet euertere, siue Michaelis virtus, siue  
fortuna, quam ut s̄epius diximus, vbiq; pro Dei voluntate accipimus.  
Nec circa Danubium per idem tempus res quiete inter Turcas, & Hun-  
garos erant. Milon Belmusius natione Mæsus, Hungarorum Ducum  
hanc positemus, forte domi in Tibisciensi agro agebat. Itaque festum  
Sacrosancte Resurrectionis diem celebraturus, ad ædem Diuæ Virginis  
quaē hanc procul à domo eius sita est, una cum filio, & lx circiter co-  
mitibus proficiscitur, diuinisq; ibi rebus græco ritu peractis, ad epulas,  
& largiorem potu de more patrio conuertuntur: Deinde vbi satis epu-  
lati sunt partim ad uarios lusus, partim ad quietem pro suo quisq; inge-  
nio sese conferunt. Non latuit hoc Turcas, qui Semenderiam urbem  
in ripa Danubii, in Mæsico agro, a Stephano Despoto exædificatam,  
Taurunoq; circiter viginti millibus passuum distantem, præsidio obti-  
nebat, namq; pridie, quam eò Belmusius accessisset, n̄eturum cum Tur-  
cæ per quendam transfugam acceperant. Itaque præfectus Turcarum  
euocatis circiter trecentis equitibus prima uigilia traiecit Danubio, tri-  
bus fere millibus passuum à supradicto fano in quadam ualle occul-  
lus consedit, quom noctu eo peruenisset, ibi paululū, & se quieti dedit,  
& ceteros quiescere iubet. Mox hominum simul, & æquorum cura-  
tis corporibus, tenuique cibo, more Turcaico confirmatis, sexta diei ferè  
hora, ratus, ut evenit, eo tempore Mæsos vino graues futuros quadragin-  
sa tantum equites progredi, & Milonem leui certamine laceſſere impe-  
rat:

rat: atq; si hostis in se irrueret, sensim cedere, donec eum ad vallem per-  
 traherent, vbi ipse expeditus cum reliquis æquitibus rei gerendæ expe-  
 ðabat opportunitatem. Milo, vt ei nuntiatum est, Turcas adesse, æquum  
 præsto enim erat, confessim ascendit, idem ceteros suorum facere iubet.  
 Coactis itaq; in vnum suis paululum deliberabundus hæsitauit, utrum  
 ferro decernerent, an prælium fuga uitarent. Verum posteaquam pau-  
 cos Turcarum conspicatus est, fraudis securus, pend cum inextri, & se-  
 mi somni ex recenti cracula turba impetum in hostes facit, ratus sibi,  
 vel imparato ad pugnam indecorum fore cum partis hostibus non di-  
 micasse. tametsi ad conseruandam fortitudinis famam nihil minus fa-  
 ciat, quam temeritas. nñ siout pugnare, quom necessitas cogat, aut spes  
 victoriæ subdit, fortis viri est, ita certamen interdum detrectare, quom id  
 ratio suadeat, prudentis Dux est, non enim semper felicitas temeritati  
 sufficere potest. Turce, vt edoeti erant, instantibus cedunt. Christiani  
 verò eos fugientes, vsque ad insidiarum locum persecuntur: ibi pro nu-  
 mero vtriusq; partis atrox prælium exortum est, pluresq; Turcarum,  
 quam Christianorum interfeci sunt. Verum paucitate nostrorum, vul-  
 vereque Belmusii patris, & quod Belmusius filius temerè in hostem in-  
 uetus ceciderat, maiorem cladem Christiani accepisse visi sunt. Milon  
 Turcarum fraude, suo vulnere, & filii morte ira inflammatus, vbi ex  
 prælio domum reuersus est omnes captiuos Turcas, quorum nō paruum  
 numerum apud se habebat, è custodiis productos, crudeliterq; ex crucia-  
 tos interfecit: atq; ita, seu dolori suo induxit, seu antiquorum ritu, qua  
 sanè plerique Illyrici vere religionis in Scithia quibusdam in rebus ad-  
 buc retinent, manibus filii parentauit. Nec contentus captiuo-  
 rum nece, nondum enim ira ex dolore concepta mente dece-  
 serat, ut primum per vulnus licuit exercitu partim ex-  
 suis, partim ex amicorum militibus ac clienti-  
 bus coacto hostium fines ingressus, agros  
 late populatus est, nihil crudelitatis  
 in hostes, quo casus obtulit, ratiōne potius  
 pr̄termissum, non estate  
 confessis, non mu-  
 tieribus, non  
 infan-  
 tibus peper-  
 cit.  
 LVDI